

stro potissimum milite nitatur, res nostrae tanto magis crescere debeant, quanto plus praesidii atque vtilitatis rebus communibus afferre et possunt et solent. Et quia hic tribuetur cuique genti, quod suum est, non erit profecto, cur quenquam huius nostrae iustissimae, vtilissimae, atque honestissimae societatis poeniteat. Nos autem, nos inquam Germanos eo minus huius poenitebit, quo magis et potestate et dignitate princeps noster cumulabitur: vt quos antehac hostes aegre a capitibus nostris depulit, eos posthac, si opus fuerit, aut sedibus ipsorum pellere, aut intra fines eorundem comprimere summa cum gloria nostra valeat. Ac si rationibus nostris ita consuluerimus, et ad officium atque bonum publicum reuocauerimus omnia, certe Deus, qui bonis bonorum consiliis atque conatibus mirabiliter fauet, procul dubio ita nos adiuuabit, vt respublica nostra atque totus orbis Christianus breui reflorescant. Habetis hic principes populique Germani, quae de omnibus commodis ornamentisque vestris dicenda putavi: et vos rogo, obsecro, et per sanguinem Seruatoris nostri Iesu Christi obtestor, vt si haec videbuntur bona esse, si vtilia, si honesta, si pia, si reipublicae nostrae necessaria, ea tantum apud nos valere patiamini, quantum patriae nostrae communis atque adeo totius reipublicae Christianae dignitas, et publica salus a vobis impetrare debent. Testor Deum im-

mor-